



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Deputationis Advocati Fiscalis Formula VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Deputationis Advocati Fiscalis.

FORMULA VII.

SUMMARIUM.

1 *Advocatus Fisci non est necesse, quod sit laureatus.*

- 2 *An juret de calumnia.*
- 3 *Advocatus Fisci non advocat pro Fisco contra suos, neque allegatur suspectus.*
- 4 *Advocatus Fisci gaudet privilegio Fori, & nobilium, quia dicitur persona egregia.*
- 5 *Advocatus Fisci licitè recipit emolumenta ab adhærentibus Fisci.*

N. Episcopus N.

*Dilecto N. I. V. D. salutem.*

**U**T Causæ, quas in nostro Tribunali cognosci contigerit, debita cum maturitate discutiantur, & jura nostri Fisci, mensæquetueantur, Advocatum Fiscalem providere cupientes, in tua integritate, *scientia*, & rerum agentum experientia plurimum in Domino confisi, Te ad hoc munus eligimus, & deputamus, cum omnibus honoribus, *prærogativis*, *privilegiis*, & *emolumentis*, tam de jure, quàm de consuetudine exigi solitis: Mandantes omnibus, & singulis nostræ jurisdictioni subjectis, ut Te in talem habeant, & recognoscant, & ubi opus fuerit foveant, & assistant. In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

*N. Cancellarius Episcopalis.*

ADNOTATIONES.

- 1 **SCIENTIA.** Non est necesse, quod Advocatus Fiscalis sit laureatus, quia Advocati Officium requirit solam doctrinam, ut dicit Rot. *decis. 357. num. .... part. 18. Rec.*
- 2. **PRÆROGATIVIS.** Una ex prærogativis Advocati Fiscalis est, quod non juret de calumnia, ut tenet Gratian. *discept. 56. num. 21.* qui allegat pro se Surd. *decis. 18.* At contrarium tenent Bertacch. *repertor. in verb. Advocatus post num. 10. pag. mibi 76. tergo*, Ricc. *decis. Curia Archiep. Neap. 56. n. 12. par. 2.*
- 3. Secunda prærogativa, quod non cogitur advocare pro Fisco contra se ipsum, neque suos, Bertacchin. *loc. cit. pag. mibi 78. tergo.* Tertia, quod in causis spectantibus ad Sanctum Officium non allegatur suspectus, in aliis verò ex causa tantum

inimicitia, Caren. *de Sanct. Offic. part. 1. tit. 9. num. 51. 56. & 57.*

4. **PRIVILEGIIS.** Advocatus Fiscalis gaudet privilegio Fori, *Sacr. Congregat. Immunitatis in Bellicastren. 4. Decembris 1629.* necnon præ eminentiis, quæ Senatoribus elargiuntur, quia dicitur de corpore Concilii, ut ait Raynald. *observ. Crimin. tom. 2. cap. 19. §. 1. num. 124.* diciturque persona nobilis, & egregia Bertacch. *in repertor. verb. Advocatus pag. mibi 77.*

5. **EMOLVMENTIS.** Quod possit Advocatus Fiscalis licitè accipere honorarium ab adhærentibus Fisci, ex Scanarol. *de visit. carcerat. lib. 1. cap. 4. n. 16.* tenet Raynald. *loco cit. n. 141.*

De-